

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 7287

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** La Caine, Notre-Dame, dépendance Beaumont-lès-Tours (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1181-1182]

**Lieu d'émission :** Bonneville-sur-Touques

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation de la fondation du prieuré de La Caine, dépendance de l'abbaye de Beaumont près de Tours, faite par Roger Malfilâtre, du consentement de Guillaume, duc de Normandie, depuis roi d'Angleterre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCVIII, t. 2, p. 213-215.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 2, p. 213. Souscriptions de Geoffroy Fils du roi, chancelier depuis 1181, et de Gautier de Coutances, trésorier de Rouen, élu évêque de Lincoln le 8 mai 1183 ; Henri II n'a pas été en Normandie pendant les premiers mois de 1183. Cet acte est ainsi antérieur à 1182.

Texte établi d'après a

H., Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, vicecomitibus, et omnibus baillivis et fidelibus suis totius terre sue, salutem.

Sciatis me, pro amore Dei, concessisse et presenti carta mea confirmasse in liberam et perpetuam elemosinam Deo et abbatie Sancte Marie de Bellomonte, que sita est juxta Turonensem civitatem, omnia subscripta, rationabiliter ei collata, sicut in carta Rogeri Mali Filiastri inde facta continebantur. Ex dono ipsius Rogeri, per manus Willelmi nobilissimi ducis Norm[annorum] et deinceps regis Anglorum, proavi mei, et concessione ipsius et conjugis sue Matildis filiorumque suorum Roberti, Ricardi, Willelmi, monasterium Sancte Marie de villa que dicitur Catena, cum tota eadem villa et omnibus que ad eundem Rogerum ibi pertinebant, ut sit cella prefate abbatie de Bello Monte, quoadusque locus ipse, adjuvante Deo, crescat ut abbatia fieri possit, ita quod, postquam abbatia fieri poterit, constituatur ibi abbatissa, ab abbatissa communique capitulo predicte abbatie de Bello Monte in ejusdem abbatie subjectione. Concessit etiam idem Rogerus ut ejusdem celle sanctimoniales accipiant in proprium usum necessaria ex omnibus nemoribus suis, cum licentia custodum ipsorum nemorum, qui tamen prohibere non poterunt. Ex donatione etiam et concessione ipsius Rogeri, piscium suorum medietatem ex flumine Olne, si ipse presens fuerit,

preter salmones et lampredas, et ex ipsis tamen decimam ; et si absens fuerit, omnes pisces preter salmones et lampredas, ut predictum est, et ex ipsis tamen, sicut predictum est, decimam. Ex dono ejusdem Rogeri, decimas totius dominii sui ex annonae et communionem pascuorum totius sui dominii, preter equorum proprietariorum pascua, et in ipsis tamen proprii ejusdem loci equi atque equitum pascentur. Ex dono etiam ipsis, ecclesias de Monte Secreto, secundum testimonium curie sepediti Rogeri. Nobilissimus prenominatus dux Norm[annorum] de his omnibus saisivit abbatissam ejusdem ecclesie, et omnia servitia et omnes querelas que ad eum pertinebant. Ipse etiam concessit in elemosinam eidem ecclesie ut orationum particeps fieret, et retinuit in custodiam sibi et heredibus suis quod forent inde tutores et defensores contra omnes mortales. Secundum etiam testimonium ejusdem carte, dedit idem dux ex sua parte eidem ecclesie quoddam mercatum et nundinas, ut elemosina succresceret. Quare volo et firmiter precipio quod supradicta abbatia Sancte Marie de Bello Monte et sanctimoniales ibidem Deo servientes omnia predicta sicut supra determinatum est habeant et teneant in libera et perpetua elemosina bene et in pace, libere et quiete, integre et plenarie et honorifice, in ecclesiis et decimis et terris, in bosco et plano, in pratis et pascuis, in aquis et molendinis, in vivariis et stagnis et piscariis, in viis et semitis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad ea pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut eis concessa sunt et collata et cartis donatorum confirmata.

Testibus : H. Baiocensi, R. Bathoniensi episcopis, G. cancellario filio meo, magistro Waltero de Constanciis Rothomagensi thesaurario, Hugone de Nonanto Lexoviensi archidiacono, comite Willelmo de Mandevilla, Hunfrido de Buhun constabulario, Willelmo Filio Radulfi senescallo Normannie, Seherio de Quinci, Hugone de Creissi, Widone de Sancto Walerico, Thoma Bard[ulfi].

Apud Bonam Villam super Tokam.